

890. V, 3-10 — Bula do Papa Júlio III, *Regimini Universalis Ecclesie* pela qual foi concedida a D. João III a administração das Ordens de Santiago e de Avis, por morte de D. Jorge de Lencastre, para que as administrasse juntamente com a de Cristo, de que era grão-mestre. Roma, 1550, Agosto, 25. — *Pergaminho. Bom estado.*

*Julius* episcopus servus servorum Dei.

*Charissimo* in Christo filio Johanni Portugallie et Algarbiorum regi illustri salutem et apostolicam benedictionem.

*Regimini* universalis ecclesie meritis licet insufficientibus disponente Domino presidentes de universis orbis militiis et regularibus locis pro eorum statu salubriter dirigendo quantum nobis ex alto conceditur sollicite cogitamus sed ea propensius sollicitudo nos urget ut illis que propriis sunt destituta ministris ne longe vacationis subiaceant detrimentis de celeri provisionis remedio prout militiarum ipsarum necessitas ac locorum et temporum qualitas exigunt salubriter consulamus ac opem et operam efficaces impendamus quod illarum regimini ministri providi et idonei deputentur quorum solertia et providentia circumspecta militie et loca ipsa non solum preserverentur a noxiis sed etiam continuis auctore Domino in spiritualibus et temporalibus proficere valeant incrementis.

*Cum* itaque sicut accepimus Sancti Jacobi de Spata sub Sancti Augustini et de Avis sub Sancti Benedicti regulis in Portugallie et Algarbiorum regnis militiarum magistratus quos quondam Georgius olim earundem militiarum magister seu administrator in titulum vel administrationem seu alternatim dum viveret obtinebat per obitum dicti Georgii qui extra romanam curiam de mense Julii proxime preterito debitum nature persolvit vacaverint seu administratione predicta illorum seu alterius eorum ut perfertur cessante adhuc eo quo dum idem Georgius illorum seu alterius eorum administrator deputatus fuerat vacabant modo vacant seu vacet ad presens.

Nos ad provisionem eorundem magistratuum celerem et felicem ne illi longe vacationis exponantur incommodis paternis et sollicitis

studiis intendentes ac considerantes magistratus ipsos diversa castra villas terras loca et arces in quibus illos pro tempore obtinentes jurisdictionem exercent eis a clare memorie Portugallie regibus et aliis personis secularibus ut plurimum donata magnamque preceptoriarum etiam pinguiissimis redditibus dotatarum collationem habere et propterea tam pro justitia in castris villis terris et locis eisdem perfecte administranda et arcium earundem ad regna et dominia predicta ab infidelibus et perversorum conatibus defendenda ac in pacis dulcedine conservanda diligenti et felici custodia quam etiam ut preceptorie ipse personis dignis et benemeritis maxime contra christiani nominis hostes dimicantibus conferri possint plurimum expedire eisdem magistratibus personam regnis ipsis ac illorum incolis gratam et acceptam per quam magistratus ipsi nedum in iuribus suis conservari quinimo adaugeri possint deputari ac sperantes quod tu qui justicie zelator et orthodoxe fidei acerrimus defensor continue fuisti prout existis quique christiani nominis hostes tam in Affrica quam in partibus Indie Orientalis et Etiopiae continuo bellis lacescere cum intollerabilibus expensis non desinis et incolas inibi comorantes ad veri luminis cognitionem reducere magnopere studes magistratus ipsos prout militiam Jhesu Christi sub regula Cistertiensis cujus etiam administrator per sedem apostolicam deputatus existis hactenus laudabiliter et prudenter rexisti feliciter et tranquilliter gubernabis illisque esse poteris plurimum utilis ac etiam fructuosus volentesque tibi ut etiam expensarum onera que in bellis predictis gerendis subire teneris facilius perferre valeas de alicujus subventionis auxilio providere teque specialibus favoribus et gratiis prosequi. *Necnon* Sancti Jacobi et de Avis magistratuum predictorum veros annuos valores verumque et ultimum illorum vacationis modum etiam si ex illo quevis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet presentibus pro expressis habentes motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate ex certa nostra scientia ac de apostolice potestatis plenitudine et quoadvixeris administratorem perpetuum et irrevocabilem magistratuum et Sancti Jacobi ac de Avis militiarum predictorum juriumque ac rerum et pertinentiarum suorum omnium etiam unacum magistratu militie Jhesu Christi hujusmodi cum plena et libera facultate auctoritate et potestate etiam si habitum per milites dictarum militiarum gestari solitum nunquam suscipias nec professionem per eos emitti solitam regulares emittas omnia et singula que magistri earundem militiarum qui pro tempore fuerunt et magistratus ipsos in titulum seu commendam obtinuerunt facere et exercere poterant et possunt faciendi et exercendi auctoritate apostolica tenore presentium constituimus et deputamus curam regimen et administrationem magistratuum ac castrorum et aliorum predictorum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo et nichilominus Sancti Jacobi et de Avis magistratus predictos qui in eisdem Sancti Jacobi et de Avis militiis dignitates principales ac illarum capita in regnis et dominiis ipsis fore noscuntur cujuscunque anui

valoris illorum singulorum fructus redditus et proventus existant sive ut premittitur sive alias quovismodo aut ex alterius cujuscumque persona seu per liberam resignationem dicti Georgii vel cujusvis alterius de illis in eadem curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam aut constitutionem felicis recordationis Johannis Pape xxij predecessoris nostri que incipit *Execrabilis* vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent etiamsi tanto tempore vacaverint quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad sedem eandem legitime devoluta ipsique magistratus dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservati existant et ad illos consueverint qui per electionem assumi super eis quoque inter aliquos lis cujus statum ac nomina et cognomina judicum et collitigantium presentibus haberi volumus pro expressis pendeat indecisa tibi quoadvixeris cum juribuspertinentiis ac aliis supradictis ita quodliceat tibi debitis et consuetis eorundem magistratuum supportatis oneribus de residuis illorum fructibus redditibus et proventibus sicut dictarum militiarum magistri qui pro tempore fuerunt de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et preciosorum mobilium magistratuum eorundem tibi penitus interdicta cum facultate auctoritate et potestate supradictis in administrationem concedimus mandantes in virtute sancte obidientie et sub excommunicationis majoris sententia dilectis filiis de Palmela Sancti Jacobi et de Avis Ulixbonensis et Alborensis respective diocesis oppidorum de Avis militiarum earundem conventuum sive domorum conventibus et prioribus eorundemque conventuum necnon singularum militiarum predictarum preceptoribus militibus et fratribus quocunque nomine censeantur et quacunque prefulgeant dignitate vassalis quoque et aliis subditis ipsorum magistratuum et illorum membrorum ut te in administratorem militiarum predictarum benigne recipiant ac tibi tanquam magno magistro et illorum superiori obedientiam et reverentiam debitas et devotas exhibere studeant ipsique vassalli consulta servitia et jura tibi ab eis debita integre persolvant ac homagia et juramenta prestant ac decernentes quamcunque electionem in magistrum earundem militiarum seu alterius earum per per prefatos conventum vel alterum eorum quacunque persona quomolibet factam nullam et inanem nulliusque roboris vel momenti fore necnon presentes litteras et in eis contenta quecunque de surreptionis vel obreptionis vicio seu nullitatis vel intentionis aut alio defectu notari vel impugnari non posse sed validas et efficaces existere suosque plenarios effectus sortiri et a supradictis ac quibusvis aliis inviolabiliter observari debere et sic per quoscumque tam dicta apostolica quam ordinaria ac delegata et mixta auctoritate fungentes iudices et personas ubique judicari cognosci et decidi debere sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et diffiniri debere irritum quoque et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

*Quocirca* venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Ulixbonensi et Tingensis ac Angrensis episcopis per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios auctoritate nostra tibi vel procuratori tuo nomine tuo in adipiscenda possessione seu quasi magistratuum ac regiminis et administrationis predictorum assistentes faciant tibi a conventibus prioribus preceptoribus fratribus et militibus obedientiam et reverentiam debitas et devotas necnon a vassallis et aliis subditis predictis consueta servitia et jura tibi ab eis debita integre exhiberi teque vel procuratorem predictum ad magistratus predictos ut est moris admitti tibi que de illorum juriumque et pertinentiarum ac membrorum suorum omnium fructibus redditibus proventibus juribus et obventionibus universis integre responderi. *Contradictores* quoslibet et rebelles etiam per quascunque de quibus eis placuerit censuras et penas ecclesiasticas et alia juris opportuna remedia appellatione postposita compescendo ac legitimis super hiis habendis servatis processibus censuras et penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

*Non* obstantibus premissis quodque tu dicte militie Jhesu Christi administrator ut prefertur ac conjugatus existas ac nostra de exprimendo vero valore in impetratione beneficiorum ac pie memorie Bonifacii Pape octavi etiam predecessoris nostri etiam qua cavetur nequis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur seu ne iudices a sede predicta deputati extra civitatem vel diocesim in quibus deputati fuerint alio vel aliis vices suas committere presumant ac de duabus dietis in Concilio Generali edita dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium ad iudicium non trahatur et aliis apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac militiarum et ordinum predictorum iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus stabilimentis usibus et naturis privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis militiis et ordinibus ac conventibus et militibus prefatis in genere vel in specie sub quibusvis verborum formis et tenoribus ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam irritantibus per quoscunque romanos pontifices predecessores nostros et nos ac dictam sedem etiam motu simili et consistorialiter etiam de illis non derogando etiam per viam generalis legis et statuti perpetui ac initi et stipulati contractus concessis confirmatis et innovatis illis presertim quibus inter alia caveri dicitur expresse quod occurrente vacatione alicujus ex magistratibus prefatis prefati conventus et fratres ac milites unum forsan de eorum gremio dictarum militiarum militem expresse processum eligere ipseque sic electus verus earundem militiarum magnus magister habeatur illique et non alii conventus et fratres milites prefati parere teneantur.

*Quodque* nullus nisi ut prefertur electus magistratus ipsos obtinere

possit et quecunque collationes electiones et alie dispositiones de magistratibus ipsis aliter etiam per romanum pontificem et sedem predictos facte nulle et invalide nulliusque sint roboris vel momenti et propenitus infectis habeantur prefatique milites aliis quam ut prefertur electis vel litteris apostolicis per eos impetratis parere minime teneantur et ob illorum non paritionem aliquas censuras sive penas nullatenus incurrant quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut exquisita forma servanda foret et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis. *Necnon* modos et formas ad id servandos pro individuo servatis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat harum serie specialiter et expresse paci motu derogamus contrariis quibuscumque aut si aliqui super provisionibus seu in administrationem concessionibus sibi faciendis de magistratibus hujusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint etiamsi per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus te in assecutione dictorum magistratuum volumus anteferri sed nullum per hoc eis quoad assecutionem magistratuum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari seu si preceptoribus majoribus dictorum conventuum de Avis et de Palmela necnon prioribus preceptoribus militibus et fratribus ac conventibus vassallis et subditis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli aut quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint.

*Quodque* de magistratibus ipsis vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem electionem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri seu concessio in administrationem fieri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis proviso quod magistratus ipsi debitis propterea non fraudulentur obsequiis sed illorum congrue supportentur onera antedicta.

*Quodque* tu fili charissime curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite fideliter et prudenter quod Sancti Jacobi et de Avis militie predicte gubernatori provideo et fructuoso administratori gaudeant se commissas ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus

latius diffundatur speratique fructus proveniant. Tuque non immerito possis apud nos et dictam sedem condignis laudibus commendari.

*Nulli* ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis deputationis commissionis concessionis mandati decreti derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

*Siquis* autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo Kalendas Septembris Pontificatus nostri anno primo.

(A. E.)